



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 2. Gladius stringenti ipsi perniciosus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

tam prodigiosum septem millia Ethnicorum, cum mulieribus & virginibus, conuersa sunt.

§. II.

Gladus stringenti ipsi perniciosus.

Abduxit Ethnicos non modò à voluntate lædendi, sed etiam ab idolis, cùm viderent cultrū in manu furentis se vertere, & lædere lædere cupientem; an non & nos debet absterere à proximo nostro violando, cùm intelligamus, mucronē, quem alijs obtemus, diuinæ prouidentix iustitiā plerumque in nosmetipsos reflecti? *Gladium euaginantur peccatores: intenderunt arcum suū; ut deiciant pauperem & inopem: ut trucidens rectos corde. Gladus eorum intret in corda ipsorum: & arcus eorum confringatur*, ait Psalmista. Franguntur nimirum consilia impiorum, & quo ferro alium voluerunt confodere, ipsi confodiuntur. Quia *gladius eorum intrat in corda ipsorum*. Fascinat enim eos ira, quando *turbatur à furore oculus eorum*, vt non prospiciant, quò destinata à se vulnera itura sint; quemadmodum magi sæpe præstigijs suis id efficiunt, vt, dum videntur digitum suum alteri in manus dare, non suam digitum, sed proprium illi nasum dexte

Psal. 36.

14.

Psal. 6. 34

dent, quem iubenteum abscindere. Si tam audax est, si vult digitum magi cultro secare, serò sentit, se non digitum magi, sed proprium sibi nasum præsecuisse. Neque longè quærenda sunt exempla. Quoties Stygius artifex alterum iubet prouocari ad duellum? cur vnus alterum prouocat, nisi vt ei vitam adimat? At obseruatum est, sæpius cadere ipsum prouocantem. An non tunc dici potest? *Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum, armarunt, & pyrio puluere instruxerunt fistulam ferream, addiderunt glandem plumbeam duplicem, ut deiciant pauperem, & inopem; qui coactus est vel inuitus in duello comparere trucidandus, quia noluit arridere turpibus, vel ad vomitum vsque potitare; aut rapinas vnà exercere, rectus corde. Quid ergo fit? id quod per modum imprecantis prædixit Propheta: *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.* Rumpitur enim fistula: vel non redit ignem flix; vel trepidat manus iaculantis, vt plumbum in auras irritum expuatur. Itaque ictum excipit, qui ictum destinauit. Quin etiam audiuius, sæpe gladiū ipsum instar ceræ, reflexum, atque in se se redeun-*

Psal, 36.

14.

redeuntem, illum ipsum, à quo vibrabatur, interemisse.

§. III.

Fur innocentem furti accusans bis suspenditur.

Sicut autem isti ad gladium suum iure damnantur, ita alij ad laqueum; ut iustitia summi Iudicis etiam de illis triumphet, qui in aëre sublimes conspiciuntur. Brevis est, sed ob inauditam malitiam incredibilis historia, nisi ab scriptore tam fide digno memoraretur. Coloniae S. Andreae Canonicus servum equo expeditum miserat ad decimas colligendas. Via illum ducebat haud procul à patibulo, in quo recens suspensum, dilapsis iam ceteris omnibus, animadvertens adhuc moveri, aliquid in eo vitae superesse, ex palpitatione, coniecit; tactusque miseratione, laqueum gladio incidit; restim laxavit, allataque in pileo ex proximo amne aqua hominem refocillavit. Qua refrigeratione recreatus, ad mentem, immò ad amentiam redijt suspensiosus. Adeò enim pertinax est furandi consuetudo, ut ne resti quidem ipsa se sinat tolli. Itaque resumptis viribus, desperatissimæ audaciæ fur, liberatorem suum ad proximam villam secutus est: ibi maleficium pro beneficio

repe-

Caesarius.
lib. 6. Il-
lustr. Mi-
rac. c. 246